

Hermann Schuckmann

**Programma De Spiritu Sancto, Propositum In Festo Pentecostes, Die 29. Mai,
Anno 1653.**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734836287>

Druck Freier  Zugang



RU Progr 1653

- 1) Johannes Gopinus
- 2) "
- 3) Herman Schückmann
- 4) "
- 5) Johannes Quistorp
- 6) Laurentius Bodock

PROGRAMMA
DE

32.
3

SPIRITU
SANCTO,

Propositum

In Festo PENTECOSTES,

Die 29. Maj, Anno 1653.

RECTORE

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
HERMANNO SCHUCK-
MAN, Theol. D. & Professore.

Sub Sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII,
Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.



58

Ruſtrà ſcriptum non eſt
et. XIX. de Diſcipulis, id eſt,
Chriſtianiſ quibusdam, Ephēſi à
Paulo inventiſ, quod interrogati
ab eo, num accepiſſent Spiritum
Sanctum, credenteſ jam facti; imò ſine Spiritu
Sancto, ne audiſſe ſe quidem, reſponderint.
Quamquam enim ſermo hīc eſt de exhibitiōe
quādam ſenſibili, quomodo paulò poſt, gratia &
virtuſ Spirituſ Sancti, qui venit ſuper eodem,
imponente iſ manuſ Paulo, per ſingularia dona,
Linguarum & Prophetiæ, oſtenſa perſpicuè fuit:
Docemur tamen commemoratione hāc Apoſto-
licā, Eccleſiæ Catholiciæ ad conſummationem
uſq; ſeculi à Deo propoſitā; dari etiam vel
hodiè Chriſtianoſ, in nomen Chriſti baptizatoſ,
qui, quod ipſiſ Spirituſ Sancti, quo donati ſunt
& obſignati, ſuſcepto Initiationiſ Sacramento,
interiorem quendam ductum, & operationeſ,
ad

ad sanctificationem maximè tendentes, invisibiles (quarum imaginem, in sensus incurrentem, publica illa & solennis effusio *Virtutis ex alto*, qualis principio in primitias Judæorum fidelium, easq; præstantissimas, primâ Pentecoste Novi Testamenti; atq; deindè in conversos è coluvie Judaismi pariter ac Ethnicismi, Samaritanos; ut & in ipsos postea Gentiles, Cornelium nempè & ejus domesticos; aliosq; cum de præputio, tum Circumcisione, Credentes, mirabili modo facta fuit, eleganter & haud obscurè refert) aut non senserint evidenter, aut accuratè cogitateq; non observâriat, nimirum vel non edocti satis fundamenta doctrinæ cælestis, vel in gratiam, vi regenerationis, sibi collatam divinam, continuis precibus, alijsq; fidei exercitiis suscitandam & exornandam, minùs seriò intenti, seu nihil de Spiritu Sancto, seu parum noverunt, idq; in corticibus duntaxat, non in nucleo cognitionis positum. Cæterum & illud quoq; hic monemur, non esse in homine veram notitiam Spiritus Dei, nisi ex quo ipse eam effecerit, nec efficere illum, nisi veniat, effundens se per gratiam, super ipsos etiam baptizatos, sed dociles, & erudiri se rectiùs atq; informari

verbo veritatis permittentes. Itā accipientibus placidè Discipulis Ephesinis, quicquid Paulus de fundamento ac virtute collati Baptismi docebat, nec doceri se, quæ nescirent, erubescantibus, tam facilem sese dabat Spiritus Sanctus, illapsus ilicò in hos cupidos gratiæ celestis, ut eundem, de quo ne audiverant quidem, antè, uti dictum; virtute ipsius repleti, non mente solum sed & sensibus perciperent. Præterea, cum lingvis loqui & prophetare hi non prius cœperint, quàm animati à Spiritu Sancto, & donis viribusq; spiritualibus instructi; docemur, hinc languere quemlibet renatorum (ne dicam irrogenitorum) absente virtute, quæ ex alto est, nec posse aliquid idonei præstare, nisi quod operetur Spiritus Sancti gratia. Deum & quæ Dei sunt, quæq; ab eo nobis donata, si tenes cognitione vivâ, nō fictâ; nemini id debes, nisi Spiritui Dei, qui scrutatur, teste Apostolo, id est, exactè perfectèq; novit omnia, etiàm profunditates D E I. Christum, eumq; crucifixum & ex mortuis resuscitatum, non apprehenderes causam salutis tuæ, nisi glorificaret hunc tibi Spiritus Sanctus; sinè quo illum nec Dominum dicere potes. Omnem fiduciam ponere in Deum, ut patrem benefi-

cum

cum, nostrarum virium non est; operatur id verò Spiritus adoptionis, per quem clamamus *Abba, Pater*; qui & ipse testatur unà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Nullæ fierent preces in nomine Jesu, nec probarentur ullæ Deo, ob adhærentes nobis imperfectiones varias, nisi sublevaret infirmitates nostras Spiritus Sanctus, intercedendo pro nobis, ceu orare sicut oportet nescientibus, adeoq; causam nostram optimè, hoc est, secundum Deum, interpretando, suspiriis inenarrabilibus. Dudum periisset Sancta-Catholica Ecclesia, & vel momento periret, nisi servasset ipse hætenus, & servaturus esset in unitate fidei primitias creaturarum Dei, quantisper & fuit & erit mundus. Remissioni peccatorum non foret amplius apud Deum locus, nisi peccatoribus subindè ad pœnitentiam autor esset Spiritus Sanctus, novi cordis formator. Fides tota & omne opus fidei in nobis cessaret, si ipse ab operatione desisteret. Quis patientiæ, humilitati, mansuetudini, beneficiæ, aliisq; dignis vocatione cœlesti virtutibus, vel tantillum daret, nisi motus ductusq; à Spiritu Christi? Quid de Charitate superesset & Societate Christianâ, efficiente unum corpus unici Filii Dei in terris, nisi ille con-

necteret & connexa teneret corda credentium,
qui Patris & Filii amor est? Quod sunt in orbe
Christiano, qui docent & discunt salutaria, in-
ter corruptelas; imperant justè, & imperanti-
bus parent, inter confusiones; qui familiam piè
educant, & qui educantibus probitate respon-
dent, in medio generationis perversæ; quod
sunt, præsentī seculo, qui boni quid cogitant, di-
cunt, faciunt, idq; Deo gratum & utile Ecclesiæ,
non hominum sivè prudentiæ sivè industriæ, sed
illi soli tribuendum, qui in Christo requiescit,
Spiritu sapientiæ & intelligentiæ, Spiritu con-
siliī & roboris, Spiritu scientiæ & reverentiæ Do-
mini, quiq; dona sua ad ædificationem unius cor-
poris mystici, secundum mensuram donationis
Jesu Christi (propter quem propitius humano
generi Deus est) multifariam distribuit. Cogno-
scimus planè, *Cives Acad.* quid positum sit in gra-
tiâ Spiritus Sancti. Utinam verò amore ac desi-
derio tanti Boni, sinè quo vivere mors est, tene-
remur omnes! Credere se in Spiritum Sanctum
quilibet fatetur, sed pauci sunt, qui credunt.
De fide loquor vivâ & ad renovationem (quæ
peculiaris Spiritus Sancti actio est) efficaciter
operanti, non historicâ. Περματομάχης, qui
doctri-


doctrinâ tales sunt, non immeritò oppugnamus:
Quotusquisq; autem est, qui se ipsum corde, ore,
& opere *πνευμαπομάχον*, vel agnoscat sal-
tim, ne dicam oppugnet. Ipsa impietas, perju-
rium, invidia, morum spurcicies, luxuria, petulan-
tia, injuriæ, nequitia, egrediens ex ore profa-
no sermo putris, & quicquid est vitiorum,
quibus non resistunt baptizati in nomen Chri-
sti, contristant, eheu! (quod sinè lacrymis & do-
lore cordis dici non debet, nec dicere possum)
Spiritus Dei sanctum, per quem obsignati su-
mus, in diem redemptionis. Contristare vel ini-
micos nostros, ne dicam, amicos & benefactores,
professio Christiani nominis vetat. Cogitare
ergò, quibus conscientia est, quàm detestabile
simul & miserabile sit, contristari, à miseris atq;
mortalibus, gloriosum & immortalem Deum,
fontem bonorum omnium, æternæq; salutis no-
stræ principium. Excuriat quisq; seipsum, & de-
prehendet facilè, quonam ducatur Spiritu, im-
puronè, an sancto? Animâ informari corpus, o-
stendunt sensus actionesq; vitales. Habitare in
homine Spiritum Sanctum, probat vita Spiri-
tualis, conformis vitæ Christi; illud ex halitu,
motu, visu, auditu & similibus; hoc ex operibus
bonis,

bonis, pietate, justitiâ, castitate, cæterisq; virtu-
tibus dignoscitur. Nolite verò parvi pendere
vitam Spiritualem. Tremenda profectò est
sententia Apostolica, quæ statuit, Non ha-
bentem *Spiritum Christi*, non esse EJUS: Undè
consequitur, nec esse Filium Dei, nec heredem
vitæ æternæ. Quid Consilii super sit, *Cives Aca-*
demici, intelligitis jam ipsi. Permittite vos Spiri-
tui Sancto, Ille docebit vos omnia. Et orate indefi-
nenter, sicut oravit, conversus ab adulterio & ho-
micidio, David: *Spiritum Sanctum tuum*
ne auferas à me Deus!



simum Virgunculæ (in cuius vel castiss
debant gratiæ) uterum demississet, ac se
humilitatem accommodasset, nullum in
lum, qui eum velut preciosissimum Co
Primum sibi lectulum sterni curabat in
postremum in furciferorum patibulo, ex
re sibi elegerat. Sed quænam humana,
concipere potest stupenda DEI opera, quæ
admirationem geruntur? Puella scilicet
mos parietes, in sanctissimâ patriarum leg
magnarum artium instructa studiis, quæ a
instruerent Sacrarium; Puella inquam, in
emicabant dotes, tot virtutes, quot serenâ
stellæ, instar candentium gemmarum suis
palustres tugurioli cannas, inter pecorum
bulo, deserto, semiruto, frigida tempesta
undiq; pervio, fundit ex utero Regem A
gerrimis uberibus Deum, humano corpori
vit fasciis eum, cuius tenellæ manus orbem
celli solem illuminant; cuius exigui pedes
ponit in præsepi immensum in celo; tegit
rigentia membra, qui volucres pennis vesti
ornat: gestat parvulum, qui ab omnibus
adoratur ut Deus, & qui in stellis est glo
esset cætera persequi; omnia dixero, cum
nati natiq; JESU mysteriorum maximam
dem dignitatem ac majestatem, omnium
sed etiam Angelorum linguæ, sufficienter pr
Ad illud nihilominus modestâ ac devotâ m
cingit sese, Vir Juvenis Præstantissimus a
HANNES HUNTEMANNUS, Hannove
eos æmulari, qui securè indormientes blan
demiis nihil aliud sunt, quam quod in Apia
simâ suâ petulantia, sordidissimâ morum &
simorum sapientiæ, scientiaq; Delubrorum

estes rem.
conditionis
enit angu-
excipere.
lium, qui
nos amo-
elica mens
i terraque
pudicissi-
, & in iis
nobilius
tarulâ tot
t in celo
e. Inter
gressi sta-
; flatibus
stat inte-
; invol-
s parvi o-
nt. Re-
a frigore
agros ex-
nentibus
Longum
oc Incar-
ujus qui
ominum,
ossunt.
dum ac-
Dn. JO-
ri, noluit
in Aca-
ri foedis-
nobilis-
nâ turpi-
ter ob-



the scale towards document